



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum, 1786

VD18 90119355

§. 25. Missio Apostolica a Stanislao Lotharingæ Duce fundata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67878)

necnon sub formali præcepto juridice Sæc. XVIII.
A. C. 1739.
indicto adstrinxit, ut hisce Missionariis
literarum nuper a Papa editarum exem-
pla transmittant, eas publicari & in-
violabiliter observari præcipiant, re-
luctantes solemnî præcepto in Europam
remittant, & intra triennii terminum
authenticis documentis Sedem Apo-
stolicam de plena & integra decreto-
rum observantia edoceant, necnon ju-
ramenti præstiti exempla proprio unius
cujusque Missionarii chirographo mu-
nita Sedi Apostolicæ exhibeant: Quis
vero inde fructus fuerit collectus, Be-
nedictus XIV. in sua Constitutione an-
no 1744. die duodecima Septembris e-
dita quæ incipit: *Omniùm sollicitudinem*
retulit, ut suo loco memorabitur.

§. XXV.

*Missio Apostolica a Stanislao Lotha-
ringiæ Duce fundata.*

Postquam Stanislaus Lescinskyus o-
lim in Poloniæ Regem electus,
nunc vero urgente Ludovico XV. Gal-
liarum Rege ejus Socero, vi pacis
Viennensis Anno 1736. die 28. Augusti
initæ Lotharingiæ & Barri Ducatum
obtinuerat, Anno sequenti Versaliis
Lunevillam profectus illius possessionem
adiit. Primas eo curas convertit, ut
sub-

Sæc. XVIII. subditorum suorum felicitatem tam spiri-
A. C. 1739. ritualem quam temporalem pro viribus
 promoveret, cunque probe nosset, Lo-
 tharingios sub pristinis suis Dominis
 filiorum potius quam subditorum more
 fuisse habitos, hinc pariter summa man-
 suetudine & moderatione regimen exor-
 tus est, ut eo facilius illorum amorem
 in se transferret. Præcipue vero æ-
 ternæ eorum saluti intentus, hoc anno
 sacras Missiones per Lotharingiam in-
 stituit, atque ad eas octo Sacer-
 dotes nominari voluit, qui tam in
 urbibus, quam pagis rudes in doctrina
 fidei & morum imbuerent, & peccato-
 res in semitam Christianæ pietatis re-
 ducerent. Hanc in rem Lunevillæ die
 vigesima prima Maij hujus anni sequens
 edidit diploma.

Nos Stanislaus Dei Gratia Rex Polonia &c. Lotharingicæ & Barri Dux &c.
omnibus has inspecturis salutem. „Notum
 „facimus, quod per Dei Providentiam
 „ad Ducatus Regimen vocati, omnes
 „nostras curas eo impenderimus, ut in
 „diversis administrationis officiis debi-
 „tus ordo servaretur, spe minime du-
 „bia freti, subditorum nostrorum felici-
 „tatem certo hac ratione promotum iri.
 „Cum autem præcipue his, qui sacris
 „præsertim & temporalibus necessitati-
 „bus pressi sunt, paterni nostri affectus
 „spe

„specimina præbere decreverimus, hinc Æc. XVIII.
 „ad utramque hanc sollicitudinis nostræ A. C. 1739.
 „partem exactius adimplendam nil ma-
 „gis opportunum fore censuimus, quam
 „si in perpetuum Missionarios institue-
 „remus, qui sensim in omnibus ditionis
 „nostræ Diæcesibus partim Verbum Dei
 „prædicarent, partim ibidem eleemo-
 „synas distribuerent, & ad conservan-
 „dum pietatis fervorem ac levandas e-
 „gentium necessitates suas quoque opes
 „& operas conferrent, præcipue ruri-
 „agentibus, ubi rarior est ejusmodi
 „auxilii copia. Quoniam vero ad ejus-
 „modi functiones Apostolicas magis
 „idoneos, ac quotidianis experimentis
 „comprobatos censeamus Jesuitas, ideo
 „hanc curam eorum Zelo committere
 „statuimus, ut sub jurisdictione Diæ-
 „cesanorum Episcoporum per sufficien-
 „tem Missionariorum ab eorum Supe-
 „rioribus selectorum numerum hæ Mis-
 „siones peragantur. Ad eorum vero
 „sustentationem, & eleemosynas, qua-
 „rum distributio durante Missione illis
 „erit confidenda, necessarios assignabi-
 „mus proventus. His igitur aliisque
 „caussis permoti ex certa scientia &
 „ex plenitudine Regiæ nostræ potesta-
 „tis & ex beneplacito nostro decerni-
 „mus. „

I. Ut

Sæc. XVIII.

A. C. 1739.

I. „Ut conventione cum Societate
 „in Campania Provinciali habita, &
 „P. Generali confirmata octo Missionarij
 „ejusdem Societatis Nanzæi perpetui
 „collocentur, qui quovis anno Missiones
 „obeant consentientibus tamen Episcopis
 „ex quibus quivis in sua Diœcesi Missio-
 „nariorum numerum, loca, & tempora
 „determinabit, ita, ut eorum quatuor
 „in Tullensi, & totidem in Metensi
 „Diœcesi per semestre, altero autem
 „semestri in reliquis Ducatus nostri Diœ-
 „cesibus subinde & juxta locorum am-
 „plitudinem suis Missionibus vacent.

II. „Præfato Nanzæiano Collegio
 „donamus in Parisiensi Prætorio repo-
 „sitam summam sexcenties viginti sex
 „librarum Gallicarum millium, ita ta-
 „men, ut Missionarii ex hujus summe
 „censibus annue decies mille libras in
 „vere pauperes prout locorum, ubi
 „Missiones suas agent, Parochi, fun-
 „dorum Domini aliique Viri fide digni
 „designabunt, in eleemosynam distri-
 „buant, reliquæ autem pecuniæ in
 „præfatorum Missionariorum & Missio-
 „num sustentationem, conservationem,
 „itineris expensas & in omnia alia ad
 „hoc necessaria impendantur.

III. „Quovis anno in præfatis Mis-
 „sionibus per triduum annuente Epi-
 „scopo

„scopo publicæ comprecationes fiant, Sæc. XVIII.
 „& quidem prima die Deus exoretur A. C. 1739.
 „pro conversione peccatorum, altera
 „die pro incolumitate Regiæ Familiæ
 „Gallicæ, & tertia pro obtinenda æ-
 „terna requie dilectissimorum nostrorum,
 „Patris & Matris, pro propria nostra
 „& Reginæ nostræ anima post obitum:
 „triplicem quoque hanc necessitatem
 „Missionarii durante sua Missione po-
 „pulo impense commendent &c.,”

§. XXVI.

*Status Missionis in Perside sub novo
 Rege Kulicano seu Schach
 Nadir.*

Jam a primis Regni Persici auspiciis
 Religio Catholica præsertim sub Sa-
 pore I. Valeriano, Sapore II. Warano,
 Pheroze, Cosroe I. & II. usque ad He-
 racium Augustum inter cruentas vexa-
 tiones mirifice adoleverat, quæ tamen
 Regno pluribus revolutionibus obnoxio
 varias, plerumque infestas subierat vi-
 cissitudines, donec tandem serenior
 aura Catholicis afflare videbatur sub
 Abba I. Persarum Rege, qui Anno 1603.
 Carmelitas Discalceatos a Clemente VIII
 Missionarios in Persidem decretos per-
 humaniter excepit, eisque Evangelium
 Apostolica libertate prædicandi facul-
 tatem